



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 1312 Usque Ad Annum 1351

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1767

VD18 9011826X

§. 11. Legati ad Lithuaniam Ducem missi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66305](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66305)

§. XI.

Sæcul XIV.
A. C. 1324.*Legati ad Lithuanicæ Ducem
missi.*

Rem promovente Friderico Rigæ in Livonia Archiepiscopo ex Ordine Minorum duo Papæ Legati Episcopus Bartholomæus, & Abbas Bernardus in illam urbem advenerunt anno 1324 postridie festum S. Matthæi, scilicet vigesimo secundo Septembris. Inter Reges Lithuanicæ ac Russiæ cum subditis ex parte una, & ex altera cum Christianis conciliarunt pacem: quæ ne turbaretur, Papæ nomine prohibuere sub anathematis poena, qua præter illum nemo posset exsolvere. Tum ad Gedeminum Lithuanicæ Regem nuncios miserunt vivos, an revera sacrilegos ritus abjicere, ac fonte salutis abluere vellet?

*Dush. chr.
Pruss. par. 3.
c. 349.*

At hic Princeps nullam pacis modo confectæ rationem ducens 21 Nov. in Masoviam numerosum immisit militem. Is Pultusciam urbem Episcopo Plocensi obnoxiam, centum triginta pagos, triginta parœciarum templa, & sacella plurima diripere ac depopulari, profanare Sacramenta, ornatus, & vasa sacra, Sacerdotes, Coenobitas, aliosque Christianos supra quater mille numero necare,

c. 350.

Sæcul. XIV. aut captivos abstrahere non dubitabat.
A.C. 1324. Alius Gedemini exercitus eodem tem-
c. 351. pore Livoniam ingressus vastabat Rosita-
 num territorium, expilans ac incendens
 c. 352. omnia. Interim ille secum habebat Pa-
 pæ Legatorum nuncios; qui 25 Nov.
 Rigam revererunt cum quodam nobili
 Lithuano. Hic quasi secundus a Rege
 coram Legatis, Præsulibus & Christianis
 plurimis contenta voce illius nomine di-
 cebat: Nunquam Rege jubente aut con-
 scio scriptæ sunt litteræ de baptisimo e-
 jus vel subditorum: nullas misit ad Pa-
 pam: nec simile quidquam in maritimis
 urbibus aut alibi edici voluit. Juravit
 per Deorum potentiam, sibi nullam pla-
 cere religionem aliam ab illa, in qua mor-
 tui essent Majores sui. Cum remi ita se
 habere affirmassent nuncii, Legati redi-
 tum ad Papam maturavere. Ex hoc ex-
 emplo ferri judicium potest, an Præcones
 Evangelii solidas Papæ spes fecerint ad-
 jungendi Christo quosdam Principes Tar-
 taros aliosve nimium remotos, quam ut
 rei veritas sciatur.

§. XII.

*Papæ sententia contra Ludovicum
Bavarum.*

Imperator Ludovicus Bavarus & partes
 ejus in Germania divulgabant Papæ
 modum